7.

MORBI EVOLUTIONIS ORGANISMI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

ATQUE

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

IN ALMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE REGIA PESTIENSI

PRO DOCTORIS MEDICINAE GRADU OBTINENDO

EDIDIT

ALOYSIUS CSÁKÁNYI,

HUNGARUS

LIPPA-TEMESIENSIS.

Theses adnexae defenduntur in Palatio Universitatis Mense Decembris Anno 1840.

PESTINI,

TYPIS JOS. BEIMEL.

PATRI OPTIMO

IN PERENNEM FILIALIS AMORIS

ET

GRATITUDINIS

TESSERAM.

Praevia.

Vitam, quae continuo eodem constaret tenore nullus organismus vivit; suas illa patitur phases, ut vita universae naturae, atque in ipsa evolutione sua, tamquam stadio incrementi, in abnormes rapitur metamorphoses non secus ac in revolutione sua, seu stadio decrementi. Cum vita organismorum limitata, et conditionata sit, atque a factorum duorum continuo conflictu dependeat; interni nempe quem natura individualis organismi cujusque efficit, et externi, quem natura externa constituit; nil mirum est, si in ipso conatu vis vitalis, organismum suum, a tenuibus initiis, ad summum cujus capax est perfectionis culmen efferendi, seu ob negatos influxus externos, ad evolutionem hanc necessarios, seu ob eos quantitate, et qualitate peccantes, aut ob debilitatem vis vitalis, quae organismo perficiendo impar est, vel nimium ejus robur, quae stimulis externis valide incitata, facile in sui perniciem ruit, morborum series exoriatur, qui nil aliud sunt, quam certa ratio materiae organicae, et vis vitalis, supra vel infra normam, eam constituta, quae organismo individuali convenit. — Quippe cum vita omnis, quoad cunctas manifestationes nimis exaltata facile interire possit, cum a summo vitae vigore, facilis sit transitus ad morbum, et hinc ad mortem, ut id pericula nimiae sangvinis copiae, irritabilitatis, et sensibilitatis exuberantiae testantur; per se patet organismos saepe in ipso conatu evolutionis pessumdari, vitamque in ipso sui initio, gliscentis adhuc flammae adinstar suffiaminari posse; in illis praesertim casibus, si influxus externi, sine quibus nulla vita possibilis est, (cum quidquid existit, ex actione, et reactione factorum duorum, nataque ex hoc conflictu intima synthesi oriatur) rationibus illis non respondeant, in quibus organismus sub evolutione sua constituitur. Omnis enim organismorum evolutio, per certa

stadia, intra determinatum tempus, per totidem paroxismos, et apyrexias absolvenda, cum exaltatione vitalis vis incedit. In conatu hoc organismus eo facilius succumbit, quo minus, ob exiguam vis vitalis perfectionem, ad similes impetus, perferendos valet, qui sub omni evolutione eum feriunt, ut id magna sub infantia organismorum mortalitas testatur. Sub qualibet periodo evolutionis, aut nova organa formantur, aut iam formata magis perficiuntur, et quasi e somno hyemali excitata statis temporibus, ad functiones sibi proprias provocantur. Hinc nil singulare est, si qualibet aetate aliis et aliis morbis subjiciamur.

Aetate infantili vegetatione praevalenter fungente morbi vegetationis, sub pubertate morbi irritabilitatis, sub aetate virili morbi sensibilitatis frequentes sunt. Organa enim, et integra systhemata eo facilius invaduntur, quo altior est eorum prae reliquis perfectio, quo frequentior functio, quin tamen imperfecta organa et systhemata morbis immunia sint. — Cum foemina relate ad virum, vegetativam magis proin infantilem vitam vivat, morbi etiam eius sub omni evolutione nati, imprimis vegetationis morbi sunt. Cum aetate foetali plures evolutiones contingant, adeo ut foetus humanus, quoad successivam organorum comparitionem, totam ferme seriem animalium percurrat, quin tamen unquam infusorium, aut reptile sit, per se patet foetum iam in utero matris, mille exponi periculis, per ipsam evolutionem adductis.

Etsi in toto vitae decursu evolutionis et revolutionis, seu incrementi, et decrementi stadia observemus; ipsum tamen stadium evolutionis in foetalem, infantilem, adolescentem, et virilem aetatem partiri mos est. — Quaelibet harum aetatum sub distincta forma organismi, sub alia vis vitalis quantitate, et qualitate, et sub aliis influxibus evolvitur, et seriem morborum exhibet, in ipsa evolutione sua fundatorum.

Aetas foetalis a conceptionis momento ad partum usque extensa, in homine 10 mensibus lunaribus absolvitur. — Inter breve hoc tempus tam copiosae contingunt evolutiones quantae numero deinceps nusquam. Ex materia informi, in omnes tamen formas assumendas prona, albumine nempe per matrem, et ex matre secreta, et ex ovariis sub conceptione in uterum delata, per influxum factoris virilis

vivificata, formari incipit; sub tutela involucrorum certorum, quae perispermio seminis vegetabilium respondent, in nexum cum materno corpore positorum, unde omnis ejus vita incitatur non secus ac vita telluris, per influxum solis, utero vices telluris subeunte, in quo foetus non secus ac planta, firmis radicatur radicibus, vasis nempe in placenta distributis. Mutuata vi vitali a factore virili, materia informis, partim spontaneitate sua, partim per influxum organismi foeminei, materiam plasticam adducentis, et exortam iam in germine vim vitalem per influxum suum sustentantis, ad processum formativum naturae suae convenientem determinatur. Foetus initio mere vegetans est. — Vita enim eius sola digestione, quae in absorptione materiae plasticae per cutem, et inmutatione ejus in vasis lymphaticis, tamquam totidem intestinis, respiratione item, et qui ambas functiones, quarum una polo positivo, altera negativò columnae Voltaianae respondet, coniungit, circuitu nempe sangvinis constat; animalitatis manifestationibus, quo motus et sensus pertinent, ad quintum usque mensem, ubi primum agitationes foetus, ut motus penduli apparentes iam arcus describentis observantur, profundo somno obrutis. Quo propius foetus ad finem aetatis foetalis tendit, eo plura et magis perfecta organa aquirendo, alia autem ut vesiculam umbilicalem, alantoidem, membranam pupilarem perdendo, ruptis tandem repagulis, ut papilio perruptis puppae velamentis in externam naturam paritur, spontaneitati suae comittendus, atque nunc, qui prius informem massam constituit rite plasmatus, pro ulteriori evolutione sua novam incipit vitam, ut seges e terrae visceribus germinans per influxus naturae externae, ut matrem omnium viventium conservandus.

CYCLUS PRIMUS.

Morbi evolutionis aetate foetali.

In graviditate extrauterina, quo graviditas ovarii interna, externa, abdominalis, tubaria, tubo uterina, interstitialis dum foetus in ipso parenchymate uteri haeret vesicalis, et vaginalis pertinent, foetus, partim ob citam velamentorum, extensionem non amplius admittentium, ruptu-

ram, partim ob impossibilitatem partus naturalis emoritur, nisi ars, hic admodum restricta succurrere velit. In his casibus, sola loci cui ovulum adhaeret, pro illo evolvendo inhabilitas, mortem adducit, non vero error, forte in formatione foetus radicatus, quae saepe prorsus normalis est. Foetus enim in his casibus, cunctis ad vitam suam cooperantibus adminiculis instruitur, non secus ac in graviditate uterina, velamentis ovi, placenta, quin in graviditate abdominali involucro proprio vices uteri gerente, a peritonaeo derivato. — In his graviditatum speciebus, interna uteri facies perinde mutatur, membrana decidua Hunteri formatur, menstrua cessant, portio vaginalis abbreviatur, quin imo foetu extra uterum evoluto emoriente, graviditas normalis obtinet, atque ita dum in certo loco organismi foeminei mors saevit in alio vita incipit. — In sola graviditate abdominali, (ceterae enim passim lethales sunt) foetus emortuus, involucro obducitur, saepe in massam lapideam Lythopedion dictam induratur, per 50 subinde annos portandam, nec graviditatem normalem impedientem, aut resoluti foetus reliquiae cumprimis ossa, formato in regionibus abdominis abcessu evacuantur, organismo foemineo ob alacrem reproductionem tam late diffusas suppurationes facile ferente.

Causa utplurimum a matre et utero suggesta, quo aetas nimis juvenilis, constitutio hysterica, habitus cachecticus, affectus animum angentes, aut perturbantes, violentiae mechanicae, congestio sangvinis in uterum, drasticis, et resinosis provocanda, induratio uteri debitam extensionem non admittens pertinent; contingit saepius: ut foetus citius, quam expedit pariatur, a primo mense usque quartum per abortum, a quinto usque septimum, qua foetus immaturus, ab octavo usque nonum qua praematurus. Prioribus temporibus vivere incapax, quod in ultimo casu sub sollicita solum cura contingit, signis imperfectae evolutionis per totam vitam utplurimum praesentibus. Ut vero interdum contingit, graviditas nec post gravissimas causas, lapsum e tractu secundo, drasticorum, et aliorum abortivorum usum, quo mercurialia, sabina, alcalia etc. pertinent non aboriri, cum provida natura firmis admodum vinculis foetum matri junxerit; sic fit ut abortu semel perpesso, constans, et eodem ut prius tempore redux pro abortu dispositio acquiratur. Sic D'Outrepont refert casum foeminae intra 2 ½

annum quolibet ferme mense aborientis. Etsi vero foetus ante mensem septimum editus vivere nequeat, refertur tamen casus, partus in Calcuta contingentis sexto et dimidio mense graviditatis ubi foetus post 50 a partu dies 14″ et 29 uncias aequabat. — Quodsi foetus ultra consvetum graviditatis terminum, in utero delitescat, id quod juxta quosdam ad 42 — 46 hebdomadas restringitur, licet referantur casus graviditatis fabulosae per tres annos durantis; id aeque ad status abnormes evolutionis pertinet, causamque habet in eo, quod matre ne fors sub graviditate morbida nisus formativus foetus etiam lentiori passu incedat; partim in utero majorem, quam solet extensionem ferente. Foetus magis evolutus apparet in hoc casu, dentes primores passim adsunt, fonticuli disparent, status itaque ejus per se morbosus dici nequit, nisi omne id, quod contra solitum naturae ordinem fit, morbosum dicatur. — Interim partu ob nimiam foetus evolutionem difficulter procedente foetus etiam periculis exponitur. Cuncti caeterum morbi foetum afficientes, et in evolutione ejus fundati, morbi vegetationis sunt, siquidem foetus, qua talis, plantae adinstar mere vegetativam vivat vitam. — Fit saepe ut germen ovuli destruatur, et sic in locum foetus massa solum informis, velamentis ovi cincta efformetur, Molae nomine insignita, quae velamentis incrassatis, spongiosis, tendinosis, carnosis constans, in cavo suo aquam, sangvinem, aerem continens, pro diversa natura velamentorum, et contentorum suorum fungosa, carnosa, tendinosa, ventosa, aquosa cruenta, dicitur. — In molarum formatione, magnam partem sibi vindicat membrana decidua Hunteri, quae sacciformiter revoluta, et humores per se secretos includendo, in graviditate extrauterina sola molas effingit. Saepe in cavo molae substantia calcarea, aut ossea reperitur, alias molae solo aggregato vesicularum, fluido diaphano repletarum constant, vesiculae hae formari videntur, ex bulbis chorion fungosi, per accumulatos in illis humores expansis. — Molae tales vesiculares hydaticae dicuntur, massa earum moli foetus respondet, priores multo minores sunt, et magnitudinem ovi normalis 2 — 4 mensium habent. — Molas hydaticas Cloquet et Desormeaux pro enthelmyntis uteri habent, illasque nomine Acephalocystidis racemosae insigniunt. Accidit subinde ut mola praesente foetus normalis

eidem coexistat, quo in casu graviditas gemellorum adfuit, ovi unius germine destructo. Per conceptionem imperfectam, qua fit ut ovulum in uterum non descendat, ut in graviditate extrauterina, per abnormitatem seu organorum genitalium, seu totius organismi, ut in asthenicis fit, unde vita semel in ovo inchoans non satis incitatur, molarum origo clara est; quae frequentibus haemorrhagiis nexae, per abortum eliminantur, ob peregrinam indolem earum, nisus organismi in sphaera sua nihil emortui, aut peregrini ferentis, ad illas evacuandas evigilat, tanto magis, siquidem vitale illud commercium, quod mediante utero, foetum et matrem inter regnat, hic desideretur. Interdum velamenta ovi majorem quam justum est habent firmitatem, quam structura eorum granosa, difficilis vesicae sub partu ruptura prodit, hinc foetus simul cum velamentis, capite galeato paritur, placenta violenter separatur, haemorrhagia inde enata non matri solum sed et foetui noxia est, si non mortem, asphyxiam ad minus adducens. Alias velamenta ovi nimis tenuia sunt, hinc aquis mature defluentibus, ore uteri ob vesicam ovi cito ruptam non debite ampliato partus retardatur. Etsi vero partu jam instante ovum cum utero laxe solum cohaereat, subinde tamen firmior adhaesio observatur dolores in utero tensivos, difficilem secundinarum separationem causans. A saeculi 18 initio innotuit, foetui per placentam praeviam multa pericula parari. — Abnormis haec adhaesio in primiparis, et polygynis sanis, et infirmis perinde occurrens, et semet jam sub graviditate, haemorrhagiis periodicis, abortum facile inducentibus prodens, in praevalente colli uteri irritabilitate fundatur, unde sangvis huc magis congeritur, vasa copiosiora, et citius hic evolvuntur, vasis ovi obviam tendentia, proin licet placenta consvete in parte dextra fundi uteri formetur, formatione tamen ejus in qualibet regione uteri jam observata, illa in collo uteri arbitrarie effingitur. — Solutio ejus partialis, quae 7-o mense graviditatis ob abbreviationem colli uteri semper contingit, non inducit semper abortum, aut mortem foetus, licet vitam ejus multum labefactet, totalis autem solutio, qualis in placenta praevia centrali fit, interitum parat, cum sine respiratione placentali, vita foetalis esse nequeat. Porro placenta vel in tota superficie sua uterina, vel in quibusdam solum punctis, firmiter adhaerere potest,

per granosam, aut tendinosam structuram, aut calcarea ossea, et cartilaginea producta. — Abnormitas haec periodo partus quinta cognoscitur, atque relate ad foetum tunc inprimis minus optanda est, si ad asphyxiam tollendam simul cum placenta balneo imponi debeat. — Sub debilitate organismi foeminei, aut uteri, placenta interdum nec debite formata, nec juste cum utero cohaerens est, hinc foetus debilem influxum experitur a matre, respiratio placentalis haud alacris est, proin nec formatio ejus, quae semper respirationis vigori respondet, in his adiunctis, abortus per quam frequens est. — In leucophlegmaticis aqua amnios interdum quantitate peccat, et 3 — 12 libras efficit, hinc hydrops ovi ad foetum ipsum extendendus nascitur, cum in aqua hac, partim ob penuriam materiae nutrientis in corpore materno, partim ob atoniam uteri, e sangvine forte normali, mere aquosas partes secernentis, materiae plasticae desint, nutritioni foetus impendendae. Aqua amnios partu proximo, constanter imminuitur, ejus tamen quantitate nimis restricta partus siccus nascitur, vesica non formata, os uteri segniter ampliatur; funiculus umbilicalis interdum 46 — 50 pollices longus, nodos format, circa artus foetus plectitur, prolabitur, atque dum sub partu premitur, sublato circulo sangvinis mortis causa esse potest, — Funiculo autem nimis abbreviato ruptura ejus violenta placentae separatio contingit. Saepe foetus nimiae molis est, ipsa tamen haec ejus perfectio, ob partum difficilem periculosa est. — Alias foetus justo minoris est molis langventem vim vitalem arguens, quae corporis moli proportionata esse consvevit.

Quotiescunque foetus aliter, quam natura eius individualis secum fert, formatus est, monstrum dicitur. Etsi vero foetus capite et pedibus equinis nusquam occurrant, cum omnis similitudo vacillet, evictum tamen est Acephalos, Hemicephalos, seu cranio destitutos foetus occurrisse. In priori casu nisus formativus in formandum cerebrum directus, germine nefors eius mature exstincto cessat; atque labes haec reliquarum partium formationem non impedit, siquidem influxus cerebri aetate foetali nullus ferme est, sed omnis nisus formativus initio a sympathico nervo, sub ulteriori evolutione a medulla spinali regatur, quare licet quidam praetendant, monstra sine ullo systhematis nervosi vestigio occurrisse, evictum est, medullam spinalem constanter in

monstris acephalis etiam adfuisse, quae ut in serie animalium, sic etiam in homine ante cerebrum formari videtur. In hemicephalis ossificatio cranii non succedit, atque cerebrum vesica solum includitur. Observantur etiam extremitates deficientes, quod aeque in retardata earum evolutione fundatur, cum extremitates foetus, non secus ac pedes insectorum e nodis evolvantur. Defectus bulbi utriusque oculi in clinico oculistico occurrit. — Interdum cor deficit, atria ad sui initium abnormiter dilatata in quam dilatationem venae pulmonales se insinuant — Atrium cordis unum, et ventriculus unus, pericardium cum corde concretum, aut deficiens, cor in parte dextra locatum, pulmo unus altero perinde ut in reptilibus aut plene deficiente, aut imperfectissime evoluto, defectus auris externae haud fabulosa sunt. Cum in prima foetus formatione cava corporis non undique cingantur parietibus, sed in media corporis linea seiuncta sint, tardius solum unienda, unde organismus animalis e duobus quasi individuis dextro, et sinistro coalescere videtur, quod et duplicitas organorum praesertim vitae animalis confirmat; accidit: ut partes quae in statu normali seiunctae sunt, abnormiter coalescant, síc Anchyloblepharon, pinnae narium concretae; labia coalita, orificium ani, urethrae vaginae concretum observantur. — Alias partes in statu naturali coniunctae separatae sunt, ut labíum leporinum, palatum fissum, rima in medio pectoris aut abdominis, ibi corde, hic intestinis haud tectis. Huc pertinet etiam hydrorachia, quae raro universalis plerumque lumbalis et sacralis est, consistitque in tumoribus per expansa ab accumulatis aquis medullae spinalis velamenta formatis, atque arcubus vertebrarum fissis processibus spinosis deficientibus, per natas hoc modo rimas prominentibus. Subinde uteri, lingvae, defectus systhematis cutanei externi, musculorum non quorumdam solum ut plantaris, pyramidalium sed et totius systhematis muscularis occurrunt. — Interdum renes concretí, aut ren solum unus, vesica deficiens, ureteres, vagina in intestinum rectum aperta, anus praeternaturalis advertuntur. Alias monstra per excessum frequentiora sunt, quae deficientibus símul certis partibus saepe simul monstra per defectum sunt. Sic hydrocephalus, seu vitium illud per quod ossificatione ossium cranii retardata suturis multum remotis, fonticulis admodum ampliatis, solidificatio cerebri

imperfecta est, et in locum pulpae nerveae ingens seri copia sub velamentis cerebri aggregatur, mole capitis, normalem mensuram quater etiam superante, cum hydrorachia saepe complicatur.

In graviditate gemellorum aut tergeminorum foetus in regione cumprimis vertebralis columnae cohaerent, unde plura individua in unum concreta nascuntur, quae organa vitae vegetativae inprimis communia habendo, ut orificium ani vagiuam, tubum cibarium sympathicam admodum vitam vivunt, interdum in longam aetatem protrahendam, ut id exemplum sororum duarum concretarum, quae in Hungaria editae, ad 22 usque annum vixerunt comprobat. Individuis ita inter se concrescentibus subinde capita duo, et extremitates superiores duplicatae adsunt, trunco et extremitatibus inferioribus simplicibus, alias contrarium obtinet. Abnormitates hae in ipsis fructibus vegetabilium observandae tunc oriuntur; si septum ova gemellorum separans destruatur, foetus sic in uno cavo contenti ob naturam systhematis cutanei eam, qualem post adustiones observamus concrescunt; quamvis origo monstrorum huius generis in ipso abnormi nisu formativo radicetur. — Parietibus cavorum imperfectis, aut aperturis non satis occlusis herniae diversae oriuntur, ut Encephalocele — Hernia umbilicalis, scrotalís, ingvinalis, — Lingvae mole nimia prolapsus ejus, aut frenulo lingvae ad apicem usque extenso Anchyloglosson occurit — Abnormis est interdum genitalium conformatio, adeo ut scroto in raphe non conjuncto, labia majora mentiente, testiculis in cavo obdominis retentis, pene imperforata mas, foemellam mentiatur — status hic Hermaphroditismus nominatur. Utriusque sexus genitalia in uno individuo occurrisse, asserunt quidam, quod tamen nedum comprobatum est, ut adeo hermaphroditismus perfectus improbabilis sit, natura individualisationem ubique moliente unde et monstra corpore concreto praedita semper ejusdem sexus sunt, et organa genitalia communia habent, pelvis structura adversante, quae utriusque sexus genitalibús recipiendis impar est, ut vero in viris plures interdum quam duo testes occurrunt, sic etiam in foemella uterus bicornis observatur, cum uterus ipse ex unione tubarum tamquam oviductuum nascatur, quarum maiorem solum ampliationem sistit, facile fieri potest, ut communi hoc cavo per

septum medium diviso, uterus bicornis formetur, atque sic dum in uno cavo graviditas obtinet alterum vacuum sit. — In his tamen casibus portio vaginalis adminus una est.

CYCLUS SECUNDUS.

Morbi evolutionis aetate infantili.

Foetus in lucem editus infans dicitur, post partum longe alias, quam antea ingreditur vitae rationes. Qui prius a natura externa, mediante solum matre influxus expertus est, in aqua amnios ut in mari suo, ex quo per cutem nutriebatur, tubi cibarii functione altum silente, diu delituit, nunc lacte materno nutriri incipit, et functio tubi cibarii explicatur. Qui prius sangvine imperfectiore in arteriosum et venosúm nedum distincto, reptilium et piscium sangvine simili, causamque imperfectionis, in digestionis, et respirationis imperfectione habente, quibus tamquam duobus momentis haematopoesis determinatur, inundabatur, et ope placentae, tamquam branchiae uterinae, non solum respirabat, sed et per depositam intra lobos eius a matre materiam nutritivam et per vasa capillaria in circulum delatam pro parte nutriebatur, unde placenta recte mamma uterina etiam dicitur; nunc aërem athmosphericum functione pulmonum evigilante totis sugit viribus. — Sangvis ob foramen ovale, et ductum arteriosum Botalii occlusum, aliam viam legit, per pulmonum vitalem expansionem in illos allicitur, circuitus minor perficitur, dumque prius eminenter in partes superiores, ut citior earum evolutio secum tulit, congerebatur, nunc aequabili rivo fluit — Motui musculari prius imperfecto alacrior succedit, sensibilitas evigilat, et cum ea sensus externi, quorum usum neonatus prius discere debet, pari passu, ut functio pulmonum evolvitur, a quibus vita animalis multum pendet. Foetus itaque prius plantae adinstar vegetans, nunc animal esse incipit, praeter vegetationem adhucdum praevalentem, irritabilitatis, et sensibilitatis phoenomena prodens. Metamorphosi progredienti sub aetate foetali praedominanti respondet nunc regrediens comparent secretiones insolitae ut salivae, urinae saturatae nimis, ut febri ad crisim delata fit, id quod aetate foetali retentum, aut abnormiter formatum fuit eliminaturae. Ob praevalentem

processum plasticum, quietem desiderantem, vita infantis prima merus fere somnus est, cum vigilia alternans, quam sensus famis et sitis, somnum vero antagonistica cerebri sub digestione suppressio, aut potius nisus infantis in pristinam quietem aetatis foetalis redeundi adducit. Status hic cum somno, et vigiliis plantarum juste comparatur. Nimia hepatis functio, ad sangvinis mixtionem alterandam directa, per pulmonum et cutis functionem, quae ex organo nutritionis, organon sensorium sensum tactus gerens, respiratorium, et secretorium evadit adjuvatur, hinc ob limitatam functionem hepatis, moles eius decrescit, vena umbilicalis obturatur, — Nova haec vitae mutatio novis morbis dat occasionem organa enim stimulo inconsveto incitata, facile abnormes status pariunt. Morbi in aetate foetali praesentes nunc primum noxii evadunt, sic ob manifestiorem iam nunc cerebri et medullae spinalis in totam vitam potentiam hydrocephalus, et hydrorhachia, ob suctionis turbationem Lagostoma, et palatum fissum, ob alvi et urinae evacuationem impeditam atresia ani et urethrae, quae vitia aetate foetali facile ferebantur; sub aliis vitae conditionibus, naevi materni, veram teleangiektasiam vasorum referentes, excrescentiae variae in cute, membrana uvea et pigmentum nigrum deficiens unde iris rubrum contrahit colorem, ut in Albinis et Kakerlakis ad morbos foetus pertinent. Multi quidem morbi infantes obruunt, ex quibus quidam ut variolae foetum etiam infestant; ad morbos tamen evolutionis infantum illi solum referendi sunt, qui in ipsa vitae et organorum evolutione causam proximam, in adiunctis externis causam remotam habendo frequentius in infantibus occurrunt. Sub partu, aut post partum etiam infantes asphyxia afficiuntur, cuius causa, turgore et rubore eminentiori, sugillationibus praesentibus, capite diu incuneato existente, sub partu pedibus praeviis, in sangvinis circuitus impedimentis, habitu infantis pallido, et causis prioribus passim absentibus in suppressa systhematis nervosi vita quaerenda est. Asphyxiam, ut et mortem foetus sub partu ingruentem praecedunt convulsiones foetus per uterum percipiendae. — Ossa foetus flexibiliora cum sint, non facile franguntur, et fracta ob alacrem reproductionem cito uniuntur. Ut vero dantur casus, ubi matre fracturam ossium perpessa, foetus etiam cum fracturis natus est, sic

certum est infantes ob insignem ossium elasticitatem sub partu insperato in terram delapsos nihil noxae contraxisse. Ob temperaturae mutationem stimulum a ris, pressionem aquae amnios cessantem, et hinc ob sangvinem versus peripheriam alacrius tendentem in cunctis infantibus maior rubor cutis observatur, desquamatione terminandus epidermidis. Mitissimum hoc erythema sub adiunctis infanstibus in erysipelas neonatorum, ob indolem morbi vagam, facile cum menyngitide, aut ob consensum cutis cum tubo cibario et hepate, cum statu gastrico bilioso, in inflamationem usque exaltando complicandum, potentiis nocentibus vero adhuc validioribus in indurationem textus cellulosi exaltatur. Icterus neonatorum ab imperfecta adhuc primis diebus sangvinis mutatione, irritabilitate hepatis praevalente, infantes passim perfundit, cum fecibus albis non est nexus, nec appetitum turbat, nec sitim anget, nec alvum retinere facit, nec urinae colorem fuscum conciliat, cum non a retenta bile oriatur, atque intra 6—12 dies terminatur. — Hepate ad inflammationem usque irritato quod stimuli tubum cibarium ferientes, suppressio sudoris per refrigerium producit, icterus neonatorum lethalis etiam evadere potest. — Notum aetate foetali in tubo cibario meconium accumulari, quod e humoribus inquilinis paratum, nisi post partum, virtute colostri laxante eliminetur, abnorme constituit incitamentum, enteritidem inducens, quae inquietudine summa, cuti et cavo oris aridissimo, abdomine sensili, foemoribus ad abdomen tractis, alvo pertinacissime constipa, urina flammea, pallore cutis cum rubore alternante, pulsu inperceptibili eo facilius lethalis est, si cum affectionibus menyngum cerebri, hepatitide complicetur. Ob alacrem functionem tubi cibarii, cutis teneritudinem, cuius affectio facile ob sympathiam in tubum cibarium reflectitur fit; ut infantes colica, dyarhoea, dyssenteria facile corripiantur, tunc praesertim si temperaturae vicissitudo, lactis mala indoles, per iram nutricis indole venenata imbuenda in infantem agat. Ut in statu foetali, ita et in infantili, vehemens est sangvinis in encephalon congestio, quae per laesiones capitis, refrigerium, stimulum dentitionis, consensualiter sub enteritide, hepatitide et erysipelate in encephalitidem abit, initio inquietudine summa, oculis lucem non ferentibus, ex orbita prominentibus, rubore suffu-

sis, vomitu frequenti alvo retenta, ardore cutis, tardius sub stadio paralytico sopore respiratione citata, sudore viscido, pupilla dilatata, habitu oculorum vitreo semet manifestantem. Radii lucis tenellum infantium caput ferientes, aut temperatura altior et plures aliae causae morbum aeque causant, qui si minus acutum decursum habeat, post praecedens stadium inflammatorium sensim solum in paralyticum transeat, cum constanti nisu transudationis hydrocephalus infantum dicitur, qui a plerisque pro hypertrophia cerebri, per excedentem in illo nisum formativum adducta, habetur. — Pulmonum, partu absoluto, et sub ipso partu fungi inchoantium, compages solida, spongiosa fit, gravitas absoluta maior, specifica minor sub scissione strident aëre evoluto, et in aqua non subsident, cavum thoracis aucto volumine, magis explent, nunc in germinatione quasi constituti ante dentitionem primam raro morbis affliguntur, si tusses, leviorem irritationem bronchiorum, per temperaturae vicissitudinem, aëris insolitum stimulum productam et ipsam evolutionem pulmonum sub repetitis thoracis concussionibus adjuvantem demamus. Si tamen jam initio reproductio abnormis sit, digestio infirma, chylum spissum, oxygenio magis imbutum, acidum, aëri athmosphaerico non cum debita oppositione obviantem, paret, seu quod idem est si infantes scrophulosim secum in lucem ferant, tunc secundum propríam morbi hujus naturam obstructiones glandularum imprimis lymphaticarum adducere amantem, glandulae bronchiales etiam, quarum ingens est in pulmonibus copia, lympha spissa obstruuntur, cum abnormi earum incremento hinc vasis capillaribus pulmonum non conceditur debitum pro expansione spatium, lympha haec stagnans varias metamorphoses subit, in substantiam caseosam, lapideam convertenda, ipsae glandulae etiam alienantur, vasa earum iniectione nec sisti possunt, parietes cartilaginei quasi evadunt. Ob nata hinc impedimenta, bronchi in quibusdam partibus magis dilatantur, in aliis admodum angustantur, hinc in diversis pulmonum regionibus, varius obtinet respirationis vigor, sangvisque inaequaliter diffunditur. Malum hoc, qua seminium mortis diu occultandum, praeter habitum phtysicum affectioni huic proprium, imperfectionem respirationis causat, inde tota metamorphosis progrediens patitur, habitus laxus, statura corporis in longum

extensa, ossa tenera, erethismus in systhemate irritabili et sensifero inducitur, atque tardius exaltata pulmonum functione, ut sub periodo pubertatis tristem sobolem parit, emollitionem nempe tuberculorum. Si cor structuram suam pro aetate foetali quidem normalem, sed aetati infantili non amplius respondentem post partum non immutet; Cyanosis nascitur, qui morbus in adultis etiam observatus fuit, quin aegri aetate infantili eo affecti fuerint. Saepe morbus mox a nativitate oritur, atque primis vitae diebus lethalis est. — Color coeruleus cumprimis in manibus, pedibus, labiis manifestus est, respiratio sub suctione imprimis difficilis, et sub fletu, atque tunc color coeruleus etiam augetur. situs est tranquillus, vox raro clamorosa, temperatura multum depressa, dyspnoea per paroxysmos reccurrens, cum aucto colore coeruleo, suffocationem minans, et convulsionibus comitata observantur. Finito paroxysmo, qui semper frequentiores sunt, color coeruleus imminutus in naturalem ferme abit. Paroxysmi itaque conamen naturae sistunt, circu tum sangvinis expediendi, saepe cum deliquio terminantur, ex quo infantes cum profunda inspiratione in vitam redeunt. — Morbo diutius durante qui interdum ad 80 aetatis annum fertur, corporis incrementum continuat quidem, sed musculi debiles sunt, cum horum perfectio, haematopoesi respondeat. Sub motu corporis, affectibus, catarrho, cui aegri admodum expositi sunt, hyeme cyanosis exasperatur. Peculiaris est observatio a Hildebrand facta, phalangem ultimam digitorum pedis et manus, una cum articulo constanter tumere, cum incurvatione ungvium. — Morbo hoc affecti habitus sunt gracilis, in haemorrhagias dispositi, scenamque morbi suffocatio, aut hydrops claudit. Causa morbi in imperfecta sangvinis in arteriosum conversione fundatur, cuius impedimenti causam proximam, cordis vitia organica suggerunt, quae secundum Burns ad haec fere revocantur: *a*) Aorta ex utroque ventriculo oritur, arteriosus et venosus sangvis itaque commiscentur. *b*) Ex ventriculo dextro aorta, e sinistro arteria pulmonalis oritur. *c*) Ductus arteriosus Botalli est apertus, et foramen ovale, vel simul vel separatim. *d*) Arteria pulmonalis ad originem suam est obliterata, et sangvinem retrograda solum via recipit. — Hoc in casu foramen ovale constanter apertum est. *e*) Cor uno

solum atrio et uno ventriculo constat ut in piscibus ex posteriori arteria pulmonalis, et aorta oritur, trunco communi in duos ramos dividendo. *f*) Cor duo atria et unum ventriculum habet ut in Reptilibus, aut. *g*) Cava adsunt quatuor septo pervio. — Frequentissime foramen ovale pervium, et ductus arteriosus Botalli non sublatus observantur. — Cavis quatuor cum septo pervio praesentibus constanter hypertrophia cordis dextri occurrit, cum cor dextrum in foetu etiam amplius sit, ob maiorem sangvinis huc adducti quantitatem. Cum vis vitalis in infante cumprimis incrementum eius moliatur, evidens est morbos etiam a digestione turbata plurimos oriri. — Sic immunditie neglecta, quae summum est contra morbos amuletum, lacte materno depravato, aut denegato, cibis incongruis adhibitis, organa digestionis labe magna afficiuntur, unde totus organismus participat, cum sine digestione recta, sangvis nequeat restaurari, et sic nec musculorum, nec nervorum debita contingat incitatio. — Fit frequentissime ut digestione abnormi glandularum lymphaticarum, mesaraicarum, quin et glandularum perfectarum obstructiones oriantur, quae non solum lymphae circuitum retinendo, sed et mutationem illam, quae in his glandulis, tamquam totidem pulmonibus partialibus, per sangvinis mediatum contactum intuitu lymphae accidit denegando, successive indurantur. Scrophulosis haec haereditarie etiam propaganda, cum foetus non solum materiam organicam, sed et quas libet vitae rationes a gignentibus summat, in sanissimis etiam sub malo tractamine oritur, non semper est mali moris cum materiis nutrientibus excedentibus, in corporibus maxime vegetis obstructiones glandularum scrophulosim floridam sistentes producantur, sub iusto regimine diaetetico facile tollendam. Scrophulosis haereditaria imperfectae vi vitali generantium, ut in aetate altiori in exhaustis per venerem morbos fit suam debet originem, causis nocentibus praesentibus augetur, iis absentibus imminuitur et licet sub pubertate, graviditate, periodis vim vitalem et organismi robur augentibus potenter impugnetur, aut tollatur, saepe tamen occultata, in posteros aeque transferenda aetate senili etiam prorumpit. Caeterum sub duplici forma occurrit, erethistica nempe, et torpida. In Erethistica irritabilitas, et sensibilitas sine energia praevalet vitaque

*

animalis antagonistice exaltatur, dum vegetativa deprimitur, antagonismo hoc per totam seriem animalium constante. In torpida torpente vegetatione, vita animalis etiam depressa est, ut in Cretinis. Notum est in omni scrophulosi pulmones infirmos esse, et saepe tuberculis obsitos. Obstructione glandularum lymphaticarum tantopere aucta, ut transitus lymphae et chyli ferme ex toto intercipiatur Atrophia oritur morbus ob prostratam, hinc organorum omnium vitalitatem sensim tabem inducens, et resolutionem non secus ac diuturna ciborum abstinentia. Si glandulae infarctae per degenerationem retentae lymphae phlogosi seu acuta, seu chronica corripiantur,, Tabes mesaraica oritur, cum febri depascente sociata. Reproductione abnormi, saepe ossa etiam patiuntur, quae post partum nedum ubique ossificata, praevalentem gelatinam prae phosphate calcariae offerunt. Si itaque phosphas calcariae non ea, quam ossium compages postulat quantitate paretur, aut parata quidem, per urinam evacuetur, debilitas ossium oritur, quae ob praevalentem gelatinam ad facilem etiam motum flectuntur, et in phlogoses, quarum sobolem, caries, necrosis, spina ventosa, constituit post leviores etiam laesiones abripiuntur. Abnormis haec ossium constitutio, ex retardata eorum evolutione orta, Rhachitis dicitur, sub qua columna vertebralis abnormiter flectitur, ita ut cyphosis, lordosis, scoliosis nascatur. — Sternum aut impressum, aut carinatum, abnormis cranii conformatio fronte prominnente, occipite impresso, unde facultates mentis etiam imperfectae fiunt. Vitiatur etiam pelvis cyphosi praesente, vertebrae lumbales, et os sacrum introrsum vertuntur, quare promontorio nimis prominente coniugata abbreviatur. — Sub lordosi contrarium fit, pelvi tamen nimis ampla existente, aut linea directionis nimis curva partus perinde difficilis est. — Sub scoliosi pelvis obliqua est pars pelvis flexurae columnae vertebralis opposita nimis ampla est, altera medietate admodum angustata. — Phoshpate calcariae in ossibus adeo imminuto, ut illa mera fere gelatina, cum substantia cartilaginea perplexa constent emollitio ossium osteomalatia nascitur, quod vitium cohaesionis in membranosis etiam organis ut ventriculo observatur et cerebro. — In Gastromalatia parietes ventriculi friabiles, aut albumini coagulato similes fiunt,

sponte etiam lacerandi, praesertim in curvatura maiore, in regione sacci coeci. — Rhachitis saepe cum scrophulis complicata, et sub pubertate ob evolutionem pulmonum, atque sub graviditate infesta, non solum infantili aetate comparet, quando frequentissima est, sed serius etiam. Referuntur enim casus, ubi foemina post 9 partus regulares, tantam ossium pelveos deformationem subivit ut per sectionem caesaream a foetu liberari debuerit. In hoc morbo musculi etiam imperfecti sunt, ut et vita animalis, cum inter organa motus activa, et passiva, inter systhema osseum et nervosum per seriem animalium vertebratorum iusta obtineat proportio.

Plurimis periculis subjicitur aetas infantilis sub dentitione. Dentes e folliculis orti, veras membranae mucosae propagines sistunt, successive solum evolvendas. In lacteos et permanentes divisi in eruptione sua typum septemmalem amant, fidosque testes sistunt ad id, ut ex eorum robore non solum ad organorum digestionis, sed et ad vitae tenorem concludere liceat, ceterum sub ossium apathia non afficiuntur. Dentitio prima septimo mense incipit, in scrophulosis, debilibus tardius. Dentitio statum physiologicum quidem constituit ut id primus Wichmann demonstravit, potentiis tamen nocentibus intercurrentibus multis morbis ansam dat, ut dum sub hac periodo organismus febribus, exanthematibus affligitur. — Ipsa adeo animalium ferorum dentitio saepe interitum illis adfert — sic e quatuor leonis catulis duo consvete sub dentitione pereunt. Quotiescunque in organismo nova evolutio fit, ea semper cum febri incipit, cum exaltata irritabilitate et sensibilitate, et majore in potentias omnes receptivitate, majoreque reagendi facultate incedens. Organismus itaque sub omni evolutione, magis quam ante energicus est, nec mirum; siquidem ad impedimenta evolutionis superanda auctis viribus opus sit. — Jam vero febris etsi levior semper suis periculis stipatur. Dentitione instante inquietudo suboritur, ut sub omni evolutione anorexia, cum polydipsia, cutis tensa arida, cavum oris calens, siccius., calor capitis cumprimis exaltatus, oculi luci adversi, tubo cibario sensibiliori vomitus frequens, acidum redolens, alvus frequentior, urina parca flammea, mains salivae profluvium observantur. — Somnus inquietus brevis, gingivae prurientes, et nato a tensio-

ne dolore vagitum intensiorem cientes, in individuis sensibilioribus convulsiones advertuntur — Symptomatibus his diverso tempore durantibus, margo gingivarum attenuatur, pallidior fit et rupturam ovalem accipit per quam dentibus erumpentibus, aestus febris subsidet, dentiumque eruptio veram crisim efficit. Symptomata haec pluribus dentibus ad semel erumpentibus augentur maxime sub eruptione dentium caninorum, interdum adeo moderata sunt, ut vix observentur. Ulterior dentium evolutio, ut et dentitio secunda, ob majorem iam nunc organismi energiam, validis impetibus retundendis magis parem, facilius fertur. Si quod organon aut systhema iam ante dentitionem abnormiter constitutum fuit ita et morbi focus in illo exardescit. Sic in plethoricis encephalon, saburra praesente tubus cibarius patitur, tanto magis quod irritationem membranae mucosae cavi oris et illa tubi cibarii priori continua, et vasorum atque nervorum vinculis cognata, structuraeque eiusdem participet. — Hinc fit ut ob auctam sangvinis in encephalon congestionem, quod hoc tempore perinde in maiori evolutione occupatur, non solum encephalitis, sed et enteritis, hepatitis occurrere queat. Dyarrhoea, et vomitus, ni modum excedant, laudanda potius sunt, cum per autocratiam naturae partim ad saburram eliminandam, partim ad plasticitatem humorum imminuendam, stheniam organismi infringendam excitentur. — In sensibilibus, dolor perturbat systhema nervosum convulsiones provocat infantili aetati admodum noxias, facile astheniam adducentes, evolutioni organicae inimicam.

Finita dentitione organismus infantilis perfectior fit, ossa firmiora evadunt, columna vertebralis formam pyramidis basi deorsum versus spectantis refert, contrarie ac antea; processus transversi et spinales tarsus et carpus magis ossificantur, respiratione nunc alacrioi musculi etiam perficiuntur — Cerebrum et mole et consistentia auctum, frons altior, physiognomia infantis ob nasum nunc minus impressum amoenior apparet. Facultatum mentis amplior perfectio, praeter memoriam, cognoscendi facultas, quam maior objectorum distinctio, et maior in ea attentio prodit, cum loquelae initiis, nisus in erectum corporis situm se locandi appetitus solidioris nutrimenti. majo-

rem organorum! digessionis perfectionem, arguens, totidem sunt signa, eruptionem dentium, externum solum esse phoenomenon evolutionis illius, quam singula systhemata et organa subiverunt. Ut ante dentitionem, ita, e. post eam sanquinis congestione in cerebrum praed ominante natura, in plethoricis praesertim certas impetigines provocat ut crustam lacteam, et tineam quae totidem quasi fontanellas constituunt, plasticitatem et congestionem sangvinis in caput moderantem. Suppressio impetiginum harum, aut plenaria neglectio, aut si in corporibus cachecticis compareant non sine noxa est. Finita dentitione prima, organismus maiorem jam energiam aquirendo potentiis nocentibus validius resistit. Dentitio secunda 7. anno ingruens, et 18—20 plene consummanda facile fertur.

CYCLUS TERTIUS.

Morbi evolutionis sub pubertate.

Nova series morborum evolutionis enascitur in utroque sexu sub pubertate, quae in sexu sequiori citius, sub tropicis iam 8—10 apud nos a 12—16 annum evolvitur, in maribus tardius 14—16, educatione, constitutione magnam sibi hic auctoritatem vindicante. Summum vitae vegetativae productum in plantis flos est, apparatus generationi inserviens, nec prius quam planta perfecta sit comparens; idem et de animalibus censendum, in quibus si nisus sexualis compareat, inditio est organismum in tantum jam perfectum esse, ut aliis etiam individuis generandis par sit. Constanter observatur in individuis cum praedominante irritabilitate et sensibilitate et sensibilitate, seu praedominium hoc prorsus normale sit, ut in temperamento sangvineo, cholerico, seu non ut in scrophulosis, rhachiticis, habitu phtysico, instructis, aut certis impetiginibus ut lepra scabie obsessis, nisum sexualem semet citius insinuare. Quod antequam contingat coenesthesis peculiariter alteratur sexus hucdum erga se invicem indifferentes se mutuo petere incipiunt, ut sub omni evolutione, ita nunc etiam synocha mitis ephemera, aut in plures dies extensa, et iterato reccurrens exoritur, sangvis in genitalia cogestus pruritum erectiones, dolores tensivos in articulis, et sensum formicationis, in cere-

bello, et medulla spinali provocat, genitalium moles, sensibilitas et irritabilitas augetur erectio penis in mare, in foemella praecedente muci profluvio cruentus fluxus, tamquam irritum conamen organismi foeminei per se novum individuum frustra molientis observantur. Cum omnes vitae vegetativae functiones periodice exaltentur et dehiscant, nisus etiam sexualis quolibet mense ad altius culmen evehitur, in foemina per menstrua; in viro per evacuationem seminis ut totidem crises intemperies eius mitigatur, quo facto energia vitae etiam, imprimis irritabilitas et sensibilitas a summo culmine suo deflectunt, ut periodice resumtis viribus, pari passu cum nisus sexualis incremento ad acme sublimentur. — Vere et autumno nisus sexualis potentissimus est, atque ut reliquorum organismorum, quin et totius naturae evolutio his temporibus fit, ita et nisus sexualis nunc praesertim se insinuat. Cum homo constanter nisu sexuali agitetur id quod firmissimum est vinculum socialitatis, cum ob alte evolutam sensibilitatem stimulus eius validius percipiatur, et ob mentis imperium ex instinctu in amorem ethicum exaltetur cum mille affectibus sociandum; facile patet: nisu sexuali nimis potente, et defraudato, plurimos morbos oriri debere. Sublata occasione naturali modo nisum sexualem exerendi, uterque sexus, magis tamen virilis, in varia scelera abripitur, sui impotens, onaniam imprimis, quae contagii adinstar late propagatur, et in plerisque locis epidemiam constituit stationariam. Scelere hoc irritabilitas exaltatur initio, quod ipsum assiduum est ad scelus invitamentum, tandem ad imum prosternitur. — Onania sexui virili imprimis noxia est, in quo frequens seminis evacuatio materiam plasticam subtrahendo, nutritionem organismi infringit, organa digestionis ob adstrictas ad reparandam materiam plasticam vires asthenia afficit. Nervi etiam peculiari stimulo, a resorpto semine derivando destituti erethismo obruuntur, musculorum irritabilitas infringitur, et in locum habitus virilis foemineus nascitur. Evictum enim est testes, non solum generationi inservire sed simul organa esse, in quibus paratum semen, resorptione in circulum delatum, nervorum proprium stimulum constituat, hinc in continentibus, robur animi et corporis insigne, in castratis apparens vitae animalis imperfectio, et praevalentia vitae vegetativae observantur. Quare seminis, et menstruorum excretio vitae vegetativae

nimiam energiam infringere juste putantur. Damna ab onania producta aetas ulterior quam maxime sentit, aetate juvenili ut maxime plastica per alacrem reproductionem damna eius reparantur. Re tamen modum excedente, initio frequentiores pollutiones nocturnae, tum diurnae etiam sine omni voluntatis imperio, sub motu, alvi et urinae evacuatione comparent, tabem dorsalem, marcorem nempe medullae spinalis, et emaciationem musculorum imprimis dorsalium, cum plenaria organorum digestionis, et cerebri ruina adducunt tantam; ut infelices hi sceleta viventia sistant; genitalium solum erethismo praesente, quo incitati in ipso agone sceleri vacant. Tabe d rsali minori gradu praesente, anaesthesia, indolentia, et fatuitas oritur, in sexu sequiori praeter haec sterilitas, et menstruorum abnormitas. — Quodsi menstrua praefixo non adsint tempore, ut in viraginibus, robustis vitam rusticam viventibus, aut debilibus chloroticis, cum media vitae temperies evolutioni eorum maxime amica sit, plethora absoluta, aut relativa oritur, sangvis menstruus etsi modicus, non secus ac modicum semen diutius retentum abnormem efficit stimulum S. nervosum ferientem, praesertim si menstruis retentis simul otio indulgeatur, vita enim actuosa irritabilitatis, sensibilitatis, et vitae vegetativae excessum consumit. — Hinc qui laborem horrent, plurimas a nisu sexuali experiuntur turbas. — Retentis menstruis a congestione sangvinis in diversa organa, quae ob irritabilitatem et sensibilitatem excedentem nec normalem eius 'influxum ferunt, cephaleae, odontalgia dyspnoea, gastralgia, colica, amaurosis, haematopoesis imperfecta ut in chloroticis profluunt. Accedunt et morbi nervosi ut chorea S. Viti, spasmi tetanici, aphonia catalepsis, somniambulismus epilepsia, mania, melancholia. Cuncti hi morbi non prius tolluntur, nisi vel menstrua regulentur, vel nisui sexuali deferatur. — Subinde sub organismi asthenia menstrua retenta sine affectione m rbosa feruntur, ut in chloroticis, et organismo prius roborato comparent. Hinc patet sangvini menstruo, licet ob deficientem fibrinam non coagulet, indolem plasticam abindicari non posse. Nisu sexuali in altum gradum elato in viro satyriasis, in foemina nymphomania oritur. Ut satyriasis, ita et nymphomania, cum turba animi, irritabilitatis et sensibilitatis excessu, impudicitia tanta ut obvii quilibet in coitum provocentur, juncta est. Nisu sexuali excon-

tentato cunctae hae turbae magis adhuc augentur, donec viribus plene exhaustis, paralysis adducatur. Nymphomania furor uterinus etiam dicitur, in inflammatione uteri lenta, satyriasis in inflammatione cerebelli chronica, quo Gall organon nisus sexualis collocat fundatur. Nimia quantitas menstruorum laxitatem atoniam sterilitatem inducit, suppressio vero eorum in ipso fluxu metritidem, phlogosim articulorum, peritoneitidem, enteritidem, pneumoniam, apoplexiam, spásmos, et convulsiones causat, prout hoc vel aliud organon in abnormes metamorphoses dispositum est. Suppressio haec cumprimis refrigerio, et irritatione genitalium sub ipso fluxu contingit. — Quare sapiens Hebraeorum legislator, hoc tempore coire vetuit. Menstruis suppressss, haemorrhagiae vicariae contingunt ex aliis organis, qua secretiones tamen sangvineae sine ruptura vasorum contingentes, minus periculosae sunt. Sundelin refert casum foeminae, quae menstruis suppressis, saepius venula in dorso manus aperta haemorrhagiam passa est. — Nisu sexuali post repetitos insultus rite decurrente, corpus maius robur aquirendo, in vera florescentia constituitur, organa genitalia, et mammae e statu gemmaeformi ex anthesi sua explicantur. Discrimen inter sexus manifestum est, in maribus thorax, qua sedes energiae, in foemellis pelvis, qua sedes reproductionis speciei ampliatur minor in locum figurae circularis, ellypticam obtinet. — Extremitates superiores in mare inferiores in foeminis validiores fiunt, in illo frons magis diducitur, protuberantiis manifestioribus, qua regio intellectus, in foemina occiput ampliatur, qua provincia affectuum, vocis firmitas organorum genitalium evolutioni respondet, glandula thyreoidaea volumine augetur, hinc collum incrassatur, cartilagines multae ossificantur, et cum magna pulmonum perfectione ossa musculi, et nervi etiam altius evehuntur, quae sub imperfecta pubertate, aut in castratis non contingunt. Et hinc patet sub pubertate etiam, simul cum organorum genitalium perfectione simultotum organismum perfici, vitamque animalem, psychicam, vegetativae praevalere incipere. Ipsae adeo plantae sub extrema evolutione sua, nempe florescentia quaedam sensibilitatis, et irritabilitatis phoenomena produnt, ut id Mimosa pudica, stamina Berberidis confirmant. Maior haec vitae perfectlo, a pulmonum perfectiono, cum qua cor etiam

et arterio ites magis exaltantur dependet. Ipsae enim plantae non prius flores explicant, nisi foliis debite efformatis, quae pulmonibus animalium respondent. Hinc si quae labes iam antea pulmones mansit, ea nunc primum manifestior fit, et ob impeditam sub his adiunctis pulmonum evolutionem, a qua haematopoeseos, vitae muscularis, et nervosae perfectio pendet, neque nisus sexualis sat validus est, nec organismus, eam ut secus adtingit perfectionem. — Nunc tubercula pulmonalia, ob malaciam pulmonum prius innocua, copiosiori sanguine in pulmones adducto, corporis et animi motuum vehemeniam, nisus sexualis usum, sub quo respiratio citata aut suspensa esse solet irritantur, inflammantur et phtysim tuberculosam adducunt. — Ast secus etiam summa adest dispositio in phlogoses pulmonum aetate juvenili. — Hinc fit ut vitiatis pulmonibus homo in ipsa florescentia sua, non secus ac flos nemorum, pruina impetitus marcescat, quin quod infimum immortalitatis gradum constituit existentiam suam in alios transferret, antequam lethaeis sopiatur undis. Vegetatio aetate infantili debilis sub pubertate exaltatur pariter, et in altiori hac evolutione deinceps etiam retinetur, pulmonum robore suffragante. — Hinc scrophulosis, rhachitis saepe tolluntur, in quibus evolutio pubertatis aeque cum exaltata vita incedit, quod perinde fieri potest, ac dum in debilibus saepe febrim validam per stimulos validos suboriri conspicamur.

CYCLUS QUARTUS

Morbi evolutionis sub aetate virili.

Pubertate feliciter superata, ad virilem usque aetatem corpus adhucdum in incremento constituitur, ad initium virilis aetatis incrementum corporis in longum desinit, massa solum corporis deinceps angenda unde vir in latum increvisse videtur, quod tamen reipsa non fit. Quodsi aetas juvenilis ad normam praescriptam transacta est, organismus virilis non secus, ac vasta in montibus quercus, tuta a noxis perennat. Aetate virili arteriositas sanguinis nimia restringitur, cum neque digestio adeo alacris sit, nec chylus in sangvinem adeo facile convertatur, ob imperfectiorem pulmonum

functionem, quam soepe vivendi ratio, motuum inopia adducit, nec metamorphosis regrediens, parem cum progrediente passum teneat. Retinentur itaque materiae multae sangvinis crasim alterantes, quam Natura viis insolitis defoecare studet. Ad molimina haec pertinent haemorrhoides, abnormis venositatis crisim constituentes, quarum imperfecta evolutio, aut fluentium jam suppressio, easdem, minus tamen intensas noxas producit, quas menstruorum emansio, aut suppressio Ob infractam sangvinis arteriositatem character viri immutatur, gradu venositatis maiori, sensibilitas, et irritabilitas temperatur, quarum intensio cum arteriositatis, quantitate et qualitate in directa est proportione, adipis copia increscit, hinc corpus torosius quidem apparet, reipsa vero materia organica imperfecte solum elaborata infarctum constituit, et in resolutionem prona est. Gradu venositatis maiore, hypochondria, melancholia virum obruit, in hoc statu plantae similem, quae dura hyeme, circuitu humorum inpedito tristem praesefert faciem. — Ad venositatem tollendam per naturam nova molimina ut totidem evolutiones parantur. Huc pertinent febres intermittentes benignae per quas organismus novitus quasi renascitur; arthritis quam febris cum exaltato vitae tenore praecedit, et cuius crisim inflammationes articulorum metastatice natae constituunt — Ea superata, digestio alacrior fit, metamorphosis regrediens promptior, atque organismo Palyngenesia brevis adducitur, donec eo iterum in pristinum malum relabente, novus impetus evolutionarius arthriticus exoriatur. — Huc pertinent febres depuratoriae, praesertim biliosa, quae per vomitum, et dyarrhoeam judicata ad restituendam humorum crasim confert. Dantur individua cholerica, quae quolibet mense simili febri corripiuntur; tristes prius iracundi, cum digestione prostrata, debilitate musculari, et nervosa pressi, febri biliosa saepe ephemera superata, sereni animo, et corpore fortes evadunt. Huc denique pertinent exanthemata varia, et ulcera chronica, qua nova organa metamorphoseos regredientis, in normalibus organis retardatae. Virili aetate sangvis in caput, et abdomen magis congeritur, hinc frequentior usus nisus sexualis, morbi organorum abdominalium acuti et chronici, et morbi encephali ejusdem indolis oriuntur. Pulmonum functio minus alacris est, unde fit ut malo pulmonum aetate virili contracto, illud facile feratur. Nisus sexualis etsi validus, moderatior tamen est, ra-

tionis imperio subjugatur, levitate animi remittente, hinc data occasione eum liberius exercendi, abusus etiam eius in quos hominem aetate juvenili levitas, ot necessitas coegit rariores sunt, fasidio eius sensim suborto, et animo gravioribus, quam lusus sexualis est, negotiis occupato — quippe dum aetate infantili organa reproductionis, sub pubertate pulmones alacerrime funguntur, in viro cerebrum cumprimis eminentem vivit vitam.

CYCLUS QUINTUS.

Morbi evolutionis sub graviditate.

Foemina sub graviditate primum hoc nomine vere digna est Conceptio a menstruis comparentibus, usque eorum emansionem fieri potest, hoc vero tempore elapso foemina etiam propriam sexui suo mollitiem perdit, quin usquam in virum induretur. Jam sub ipso actu conceptionis, simul cum illa viri tota foeminae vita, eminenter in organis sexualibus exaltatur, hinc nil mirum est, si foemina sub coitu initio frigore, quod omnem maiorem reactionem praecedit percellatur tardius calore, rubore aucto perfundatur, cum sensibilitatis et irritabilitatis in deliria, et spasmos abreptarum exaltatione — Finito coitu in reliquo organismo malacia redit, in genitabilibus permanente vigore, ad phlogosim fere evecto. Actus hic veram sistit febris intermittentis faciem, aut potius febrim per contagium a viro derivatum excitatam et conceptione terminatam, tamquam crisi, qua durante pro contagio sexuali receptivitas deest. Jam primo mense graviditatis adfectiones apparenter morbosae comparent, a majori evolutione totius organismi repetendae. Ut sub omni evolutione, ita nunc etiam anorexia exoritur, sensibilitate, et irritabilitate tubi cibarii eminente vomitus frequens, et alvus obstipa, quae si arte iniqua tollantur organismus in evolutione sua impeditus facile noxas contrahit. Reproductio licet exaltata sit, sangvis magis plasticus, et maiori quantitate paretur, cum tamen productum hoc alacrioris reproductionis in foetus formationem convertatur, minor adest pro febribus phlogosibus dispositio, quin praesentes etiam sub graviditate passim silent. Sub graviditate ulteriori, ob restrictam pulmonum expansionem, ab incremento uteri productam sang-

vis magis venosus fit. Unde maior adipis copia paratur, majorem torositatem inducens, cutis activitas vicario modo exaltatur cloasmatibus, impetiginibus, lichene corripitur. — Accedente adhuc stimulo, quem uteri, et foetus evolutio parit systhema nervosum alteratur, unde animus morosus ob congestiones sangvinis in encephalon validas mania melancholia, epilepsia, amaurosis comparent, quae graviditate absoluta desinunt — Occurrunt tamen casus, ubi sub graviditate aucta S. nervosi energia, morbi nervosi ut hysteria, epilepsia, melancholia plene desierunt, graviditate consummata redituri. Ob materiarum phlogisticarum copiam, quae ob pulmonum, hepatis limitatam functionem, torpore in digestionis officina etiam praesente, per solam cutim eliminanari nequeunt oritur icterus gravidarum. Alvus segnis, urinae evacuatio inpedita stranguria, ischuria, dysuria illo tempore cumprimis observantur, ubi aucto uteri volumine pressio in haec organa nimia est. — Multi morbi ante graviditatem praesentes, ea ingruente aut cessant, aut insigniter imminuuntur, ut phtysis, quae tamen post partum sangvinis torrente iterum in pulmones directo brevi lethalis fit. — Tales morbi sunt helminthiasis scrophulae, qui vitae vegetativae debilitati innixi ea sub graviditate sublimata desinere debent, sublata quippe conditione tollitur conditionatum. Nervis sacralibus per uterum gravidum compressis, paralysis extremitatum inferiorum, reditu sangvinis ob pressas venas haemorrhoidales tardato, haemorrhoides, et varices producuntur, partim ob sangvinem minus in peripheriam delatum, partim ob vitam vegetativam in formationem foetus intentam ulcera chronica consanantur parte una; parte altera ob eandem causam fracturae ossium et vulnera difficilius sanantur. Ob insignem vitae universae sub graviditate exaltationem parva est in gravidis mortalitas, ipsisque adeo contagiis febrilibus facilius resistunt. Uterus sub graviditate e somno quasi emergit, extra graviditatem quatuor in longitudine nunc 12 duos in latitudine nunc octo pollices metitur, fibrae eius musculares intra peritoneum sitae, in circulares et longitudinales, non secus ac in intestino recto et vesica distinctae, illis in collo, his in fundo praedominantibus nunc primum conspicuae sunt, arteriae et venae perdito situ serpentino mole augentur, ut et nervi, hinc nil mirum est, si ipsum volumen uteri, ad quod augendum evanescentia portionis vaginalis

plenaria in primiparis confert, non per meram parietum diductionem, sed per veram hypertrophiam, in tantum augeatur, ut in peripheria 28″ metiatur et volumen eius 244 vicibus maius sit quam extra graviditatem. Per violentias, aut si placenta praevia sit metrorrhagiae incurrunt, in posterori casu periodicae, et sub ulteriori graviditate dum nempe portio vaginalis etiam extendi incipit, pelvi nimis ampla prolapsus uteri, aut retroversio tertio praesertim mense, facile gangraenam inducens, pelvi angustata et brevi antrorsum inclinatio observatur. In cachecticis aquae iam infra peritoneum, iam in ipso parenchymate, iam in ipso cavo uteri accumulantur, ubi et gasa accumulari possunt, periodice se cedentia, malum in priori casu Hydrometra, in alio Physometra vocatur — morbi hic extra graviditatem etiam observandi, mole uteri gravidi nimia, resistentia parietum eius exigua motu foetus obscuro, periodico aquae aut gasis effluxu, et cachexia totius corporis cognoscendi, in debili uteri vitalitate fundantur. Plethora sub graviditate nimia, non solum abortus, sed haemorrhagiae etiam narium, ventriculi, pulmonum observantur, graviditate solum absoluta terminandae. Systhemate nervoso nimis energico, aut erethistico, accedente cumprimis nimio stimulo sangvinis tam sub graviditate, quam sub partu gravidas eclampsia impetit, morbus convellens, quae ab epilepsia conscientiae praesentia, et decursu celeri differt, forma in utroque morbo eadem. Morbus, cum asthenia, aut sthenia incedens, prout in nervorum et vasorum simultanea energia, vel in nimia nervorum sensibilitate causam habet, per pathemata animi, imprimis iram metrorrhagiam, cum per sangvinis iacturam magna sit in convulsiones inclinatio, partum difficilem, vires exhaurientem, tardam oris uteri aperturam, cerebri, aut medullae spinalis phlogosim excitatus, quolibet quadrante redux, saepe intra breve tempus lethalis est. Ruptis sub graviditate extrauterina receptaculis, foetu in cavum abdominis delapso constanter lethalis est exitus. Ruptura uteri non semper mortem adducit. — Teste P. Frank in hoc casu foemina per gastrotomiam una cum foetu salvata est. Dolores partus in primiparis graves tardius mitiores, quin et nulli sunt — constat enim gravidas sine ullo sensu doloris peperisse. In fundo uteri inchoantes, tardius ad os uteri etiam extensi, per cuncta quinque partus stadia inaequali tenore adsunt, si nimii sint

spasmos uteri et reliqui organismi, phlogosim producunt. Sub partu labia portionis vaginalis fissuras accipiunt, deficiente custodia perinaeum ad sphincitrem ani usque finditur, aut in medio pertunditur, quo facto exclusio foetus per rimam hanc contingit. — Vitia haec perinaei ad morbos evolutionis pertinent, nam in populis feris, auxilio destitutis frequentissima sunt. Post partum si uterus atonia laborans non contrahatur placenta partialiter solum solvatur lethales etiam metrorrhagiae exoriri possunt. Partu finito uterus in priorem fere molem redux, in organon secretorium, lochia nempe initio cruenta, tardius serosa, demum mucosa secernens abit, per quae ut et auctam sudoris, et lactis secretionem, sub malacia somni, tamquam totidem crises, organismi exaltata vegetatio, et cum ea etiam vita animalis ad debitum tenorem reducitur. Puerperio exantlato, foemina longe altiorem tenet ac antea evolutionem. Animus prius levis, solidior fit, ac si characterem viri pro parte vindicasset — Sensibilitas, et irritabilitas imminuuntur, hinc minor in nevroses dispositio et in morbos tubi cibarii, genitalia sub graviditate summum florem adtingentia, magis evoluta fiunt, hinc facilior deinceps conceptio, minora incommoda graviditatis, rarior abortus, partus facilior, et menstrua magis regularia manant — Par hic ratio obtinet ut in plantis, quae post primam fructificationem, copiosius, et saepius florent atque minus aboriuntur. Atque hinc patet organismum foemineum per ipsam graviditatem evolvi. Mammae iam sub graviditate magis adhuc post partum, praecedente febri lactea perficiuntur, structura earum glandulosa ex acinis constans, quam ante graviditatem distingvere non licuit, nunc manifestissima est. Mammae nunc primum glandulae perfectae fiunt lac secernendo, quod substratum quasi constituit influxuum dynamicorum ex matre in infantem derivandorum. Saepe tamen in debilibus provido naturae consilio, et in viraginibus mammae in evolutione sua remanent adeo ut rudimenta solum earum adsint. Lactatione neglecta, leucorrhoea, et hinc pendens sterilitas, tumor mammarum ab accumulato lacte, et hinc inflammatio earum, per quam abscessus, nodi, proxima saltem graviditate tollendi, per novam vitae mammarum energiam nascuntur — Lac in mammis retentum, non secus ac sangvis menstruus sub atresia vaginae non corrumpitur, interdum enim per sectionem ad plures libras evacuabatur, si itaque accumalatione eius praesente phlogo-

sis mammarum exoriatur, id non a stimulo lactis, qui mammis non secus ac sangvis cordi, sperma testiculis proprius est, sed a nimia mammarum tensione, invitatoque hunc in modum sangvine exsplicandum. Per nimiam lactis secretionem materia nutritia copiosa matri subtrahitur, ut id sub lactatione gemellorum fit, mammis autem adeo incitatis, ut maxima pars sangvinis in lac convertatur galactirrhoea nascitur, quae sensibilitatem, et irritabilitatem, ob humorum jacturam exaltando, organismum morbis quibuscumque magis exponit, sub influxibus praesertim debilitantibus — Pulmonibus ob majorem sangvinis congestionem secus etiam in morbos dispositis, ad consvetos etiam stimulos tussis continua, haemoptoe et hinc phtysis nascitur. Organismus foemineus, qui sub graviditate summam evolutionem adtingit facile etiam interit, cum a maximo vitae culmine, haud tortuosa ad mortem ducat via. Quod quidem tunc praeprimis evenit si crisis per lochia, sudorem, et lac non debite procedat, aut supprimatur, formantur in his casibus metastases, in membranas imprimis serosas, tria corporis cava vestientes quae praecedente phlogosi in obvelata etiam organa extendenda, in vicarias secretiones determinantur, eo periculosiores, quod ob membranas has ostiis destitutas secreta nullibi exitum inveniant, sic nascitur febris puerperalis, cum encephalitide pleuro peripneumonia, aut peritoneitide sociata, cuius stadium phlogisticum, brevi in asthenicum vertitur, vix medicabile. In hoc morbo phlogosis etiam uteri raro parenchymatosa, plerumque membranae intimae observatur, quae in gangraenam facile abit ex lochiorum nimio foetore cognoscendam — Quod hic acuto cum decursu observatur, idem accidit in sic dicta putrescentia uteri, qua malo chronico in quo membrana intima uteri iam sub graviditate phlogosi lenta correpta sensim in sphacelum abit, in parenchyma uteri minus magis in portionem vaginalem extendendum — Morbo hoc, qui in laxis occurrit, sine sensu doloris, plerumque abortu praeceeente, febris septica inducitur. —

Theses.

1. Aetates rectius ex animi, corporisque mutatione, quam annorum numero diiudicantur.

2. Dum incipis vivere, incipis mori.

3. In Amoenorrhea retentionis medicus famae et conscientiae suae optime consulet, per methodum exspectativam.

4. Absque phlebotomo, hydrargìro, emetico, purgantibus opio, et aqua, nollem esse medicus.

5. In syphilide inveterata sananda, nihil magis prodest, quam hydrargiro opium iungere.

6. Hominis sanitati optime conducit cibus mixtus, qui ipsi per naturam destinatus est.

7. Scissio Medicinae in Allopathiam, Hydriatriam, et Homoeopathiam perfectioni scientiae contulit.

8. Quaenam ex his victrix mansura? Illa quae non inhaeret remediis universalibus, non putat Autocratia Naturae sola omnes posse tolli morbos, sed quae principiis firmis per experientiam, mille et ultra annorum confirmatis, et rationi adaequatis, ultro quoque inhaeserit, nihil ultra modum exagerando, negligendo, sed caute examinata et comprobata recipiendo.